



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum II. Decretalium, Per Triginta Titulos Distributum, In Quo Agitur  
De Judiciis, Foro Competenti, Libelli Oblatione, Mutuis petitionibus, ...

**Krimer, Ferdinand**

**Augustæ Vindelicorum, 1708**

§. I. De ordine Judices appellatos Servando.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73001](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73001)



appellationis causas reddere, & agere) prout habetur L. 1. & 2. ff. an per aliud caus. L. 1. ff. pendent. appel.) est idem, atque placitare causas appellationis.

2696. Secundò, *prosequi appellationem*, prout desumitur ex L. 2. §. *Legatis*, de Jud. L. 3. ff. de appell. reor. idem valet, atque *provocationem exercere*. Appellatione *cognosci*, & *pronuntiari* dicitur, quando appellationis causa cognoscitur & pronuntiat L. non ob 25. ff. pro Soc. Locat: sic ex Creditor 102. §. 1. ff. de solut. L. licet C. appellatione sententiam dicere (L. minor 18. ff. de minor.) est, ad appellationem judicare. L. non putabam ff. de condit. & demost.

Tertiò, *deferre appellationi*, in jure Pontificio apud Archid. de appell. in 6. idem est, quod *admittere appellationem*. *Porrigeri appellationem* (ut habetur in c. appellatio, de appell. in 6.) videtur quod *producere, extendere*. Appellationes *injusta* pronuntiantur, cum dicitur *malè*, & *temerè* appellatum) L. negotiorum. ff. de appell. Porrò Superiori Judici satis est, pronuntiare justam, vel injustam ex Imp. Dioclet. & Maxim. constit. L. eos; in fin. C. de appel. his, quod modum loquendi præmissis in genere:

2697. Quæstio 1. est quòd *proprie sit appellatio* prout sumitur hoc titulo? Resp. hanc definitionem ab omnibus receptam esse, quòd appellatio sit *ab inferiore, ad Superiorem Judicem provocatio*, quibusdam tamen addentibus: *ratione gravaminis illati, vel inferendi*; finis ejus est, ut iniquitas sententiæ, si quæ sit, corrigatur. L. 1. ff. h. t. vel si justa confirmetur secundum dicta n. 2126. Et quamvis in definitione dicatur, appellandum esse ad Judicem *majori illo*, à quo appellatur: intelligi potest, modo *in linea Judicis*, seu *jurisdictionis* major sit, licet alter major sit dignitate; & si contingat ex errore, quòd quis appellet *parem*, vel *majori Judicem*, alium tamen pro alio, error ei non nocet, modò non *minorem*, ut colligitur ex L. 1. §. 3. ff. h. t.

2698. Quæstio est 2. quæ sit differentia inter *judicalem*, & *extrajudicalem* appellationem? Resp. *substantialem* differentiam esse in hoc, quòd appellatio *extrajudicialis* non fiat à sententia Judicis, gravamen continentis; sed ab actu extra judicium

gesto v. g. si quis recusans delatam sibi telam, rejectus est, provocat. ab actu extrajudiciali; *judicialis* verò supponat veram causam appellandi, hoc est, ut revera per sententiam gravetur appellans, nec sufficit, si futurum forte aliquod gravamen timeat ex probabilibus conjecturis: prout colligitur ex L. 4. C. h. t. quamvis hoc potestremum aliqui non admittant.

¶ I.

De ordine inter Judices appellatos Servando.

Cum enim sint sæpe Judices plures, eò à quo appellatur, majores, cum quadam tamen subordinatione, dubitari posset, an valeat appellatio ab inferiore ad Superiorem illo, sed mediatum, non immediatum? Resp. appellationem *regulariter* esse faciendam *gradatim*; nimirum ad superiorem proximum, seu immediatum ejus, à quo appellatur; c. dilecti. 66. h. t. ubi habetur iste casus: inter Priorem de lacu rubeo ex una parte, & E. militem ex altera parte, lis erat, quam Ordinarius Magistro A. delegavit; ab hoc Judice miles appellavit ad Archiepiscopum Bituricensem, sed Prior excepit, quòd omisso medio Episcopo ad Archiepiscopum non appellari, consequenter nec Officialis ejus causam cognoscere potuerit; cum autem exceptionem hanc Officialis admittere nollet; Prior appellavit ad Pontificem; eapropter Honorius III. sententias, quæ post appellationem late sunt, irritas esse decrevit.

Ex hoc cap. deducitur, appellationem ab inferiori Judice ad superiorem *mediatum*, immediato præterito (nisi facta sit ad summum Pontificem, vel Legatum à latere) in foro Ecclesiastico de jure pro nulla haberi, ut patet ex textu cit. c. dilecti, ibi: *quocirca mandamus, quatenus sententias post hujusmodi appellationem latis (in eos) denuntietis penitus non tenere.*

Deducitur 2. quòd appellationem ad Archiepiscopum, Officialis ejus, seu Vicarius generalis, recipere, & cognoscere possit; & constat ex c. dilectis 55. h. t. & c. 3. eod. in. 6. ubi dicitur, cum Coepiscoporum, & eorundem generalium Vicario-



cariorum, seu Officialium unum, & idem consistorium sit, ideo si ab Officiali aliquo appelletur, non ad Episcopum, cujus Officialis est, appellatio tendere debet (ne alioquin appellatio ab eodem ad eundem fiat) sed ad Curiam Metropolitanam.

2702. Ex hoc autem nascitur duplex questio; prima est, an in casu, quo Episcopus alicui delegat causam, ad se ex appellatione delatam, ab hoc delegato possit appellari ad Vicarium. seu Officialem delegantis? altera, an appellari possit ad eundem Officialem in casu, quo Judex delegatus recusat? utrumque negat Jo. Andreas in c. si contra, de offic. delegat. in 6. n. 2. nisi delegans sit absens, seu versetur in remotis; rationem dat, quia Episcopus alteri, principalem causam delegando jurisdictionem abstraxit à Vicario. Verum, aliud est causa principalis; aliud causa appellationis, vel recusationis; quare, licet fortasse per delegationem Episcopus avocaverit causam principalem à Vicario, seu Officiali suo; non propterea sequitur etiam avocasse causam appellationis, vel recusationis; cum hæc sint separabilia; & aliunde Vicarius de jure possit cognoscere causam appellationis, ad suum Episcopum delatam.

2703. Dixi: in foro Ecclesiastico regulariter irritam esse appellationem non servato gradatim ordine factam, quia id habet quasdam limitationes; nam ad summum Pontificem datur, & valet appellatio etiam immediata, non tantum in his, quæ pertinent ad jurisdictionem ejus temporalem, ut habetur c. 7. h. t. ubi dicitur, etiam à Judice seculari posse immediate appellari ad Papam, quando est jurisdictioni ejus temporali subiectus; ergo etiam à Judice Ecclesiastico jurisdictioni ejus spirituali subiecto; hinc à seculari Judice, qui non est de temporali jurisdictione Ecclesiæ, de jure communi ad Papam non appellatur, licet appellatio hæc secundum consuetudinem valere possit; ratio primæ partis est, quia summus Pontifex ordinariè, & directè non immiscet se secularibus causis, & judiciis extra terras Ecclesiæ suæ, quæ dicuntur esse patrimonii S. Petri; ut dicitur c. Novit, 13. de Judiciis: ratio 2. partis est, quia valida est consuetudo, ut à Judice Lacio appellatur ad Ecclesiasticum; arg. c. si Clericus 15 1. &

Tom. II.

c. Licet, 10. de foro competente: quamvis vice versa non valeat, ut ab Ecclesiastico judice appellatur ad secularem, quia majus, & dignius est tribunal Ecclesiasticum, quam seculare; appellatio autem necessario fit à minore ad majus Tribunal.

Eadem limitatio, quod valeat etiam immediata appellatio ad Pontificem, constat ex c. dilecti, 52. h. t. nam cum lis esset super quadam Capella inter Cantuariensem Archiepiscopum, & Priorem, ac Monachos Cantuarienses, & non obstante, quod Monachi duos ex Fratribus Romam ad Pontificem miserint, eos nihilominus Archiepiscopus post arreptum iter excommunicasset, re intellecta respondit Innocentius: cum plus sit ad Sedem Apostolicam facto provocare, quam verbo, & ipsis propter dictam causam ad Romanam Ecclesiam venientibus intelligatur ad sedem Apostolicam provocatum: mandamus, quatenus, si est ita, dictos Jo. & H. denuntietis excommunicationis vinculo non teneri; constat igitur, appellationem à dictis Monachis factam immediate ad Pontificem, ab eodem approbatam esse.

Ex eodem textu deducitur 1. non solum verbo, sed etiam facto fieri appellationem; nam in dict. c. sola itineris arreptio ad Superiorem, vim appellationis habuisse dicitur; quod accipe de extrajudiciali; nam licet in appellatione judiciali sufficiat quovis verbo, vel facto voluntatem provocandi ad Superiorem exprimere; necesse tamen ulterius est, Apostolos expetere, ac alia ad illam ponere.

Deducitur 2. quamvis attenata post appellationem extrajudicialem, regulariter non sint ipso jure nulla, seu pendeant ex futuro eventu sic, ut appellatione justificata rescindi debeant, (c. consideramus. 10. de Elect. ubi secunda electio, facta post appellationem, & non cassatam primam, cassanda dicitur, quim irrita dicatur; & c. cum nobis 19. eod. ubi electio, facta post appellationem non dicitur irrita, quia appellatio non est facta, ne fieret electio; sed ne fieret non canonica, adeoque tenebat, canonicè facta) in censuris tamen, post interpositam appellationem, etiam extrajudicialem, dicendum esse, illa ipso jure nulla esse, ut clarum est ex

§§§§

textu



rextu dict. c. *dilecti*, super. n. 2704. *si petas*, quid interfit, attentata post appellationem esse irrita, vel non esse irrita, sed primum postea irritanda? Resp. hoc interesse, quod, *si non sint ipso jure irrita*, etiam deserta appellatione revocari non possint per viam nullitatis; sed tantum per viam juris, ac justitiæ: si autem sint ipso jure nulla, in attentatis post appellationem judicialem agi posse per viam nullitatis; & post extrajudicialem etiam in certis casibus, ut in censuris dictum est num. præced. colligitur ex c. *Concertationi h. t. in 6.*

2707. Nam, cum olim dubitatum esset, intra quod tempus liceat appellare à gravamine extrajudiciali v. g. facta electione, postulatione, provisione? Clemens IV. dirempturus hoc dubium, rescriptit: *intra 10. dies appellari posse, numerandos à die notitiæ*; cum videlicet appellans scivit gravamen illatum, v. g. electionem factam illegitimè, *post elapsos autem 10. dies, tamen appellare non possit aliquis, tamen per alia juris remedia* v. g. electionem irritam esse dicendam, aut rescindendam, ejus revocationem petere non prohibeatur. Ex qua resolutione sequitur. 1. decendum ad appellandum à gravamine illato *cognito* numerandum à tempore, quo quis scivit suum gravamen v. g. electionem in sui præjudicium factam. Secundò, si quis plura juris remedia habeat, atque ab uno eorum exclusus sit, vel superatus, altero experiri non prohiberi; v. g. si quis appellare intra debitum tempus intermisit, vel appellationem deservit, vel in ea succubuit; postea enim per viam nullitatis agere potest, ut hic, & in *L. si expressim. 19. ff. h. t.*

2708. Altera limitatio est, ut valeat appellatio etiam non gradatim facta, si fiat ad Legatum à Latere intra provinciam sibi commissam existentem, per c. 1. de offic. Legati, ibi: *Legationis tamen obtentu universas, quæ per appellationem, vel querimoniam perveniunt ad suam audientiam, audire potest, & debet, sicut qui in provincia sua vices nostras gerere comprobatur.* Ratio est quia gerit vices Papæ, & concurret cum quovis Ordinario. in quo textu nihil dicitur de Patriarchis, quibus aliqui volunt idem jus competere.

2709. Tertia limitatio est, quod à subdelega-

to immediatè appellari debeat ad Papam; & non ad delegantem in casu, quo delegatus vel ad unam causam, vel etiam ad universalitatem causarum, totam jurisdictionem in alium transtulit, ut dicitur in c. *super questionem 27. §. 2. de offic. deleg. dixi: si totam*; nam si alteri committat non totam (ut, si sententiam sibi subdeleganti reservet) appellandum erit à subdelegato ad subdelegantem, ut dicitur loc. cit. Cæterum, si alteri committat partem causæ (v. g. audire testium depositionem, solum ut mero Auditori; non jurisdictionem ut Judici) ab eo appellari non potest, nisi fines mandati excedat; cit. c. *super questionum 2. verum.* Talis tamen auditor recusari non potest à partibus, nisi causa justà exhibitâ coram delegato, per cit. *2. quem verò.*

Limitatio 4. est, ut valeat appellatio immediata ad superiorem, præterito inferiore immediato, si hic neget justitiam, vel justis de causis suspectus, aut aliter inhabilis sit, saltem in casu, quo sic appellant pupilli, Viduæ, alique fortunâ miserabiles, ut dicitur, *L. unica C. quando Imperator inter pupillos*; & quamvis appellationes rectâ ad superiorem, seu Principem factæ, remittantur ad Præsides, ne scilicet suis occupationibus, quibus pro communi utilitate laborant, aliena commoda prætermittant, ut dicitur *L. 21. ff. de appellat. & Novella 17 c. 3.* non tamen rejiciuntur, tanquam nulla; nec haberi debent pro desertis, ut patet ex causa remissionis, quam allegat Imperator.

Cæterum, spectato jure civili, appellatio facta prætermisso medio, seu superiore proximo, ad quem prius provocandum fuisset, non eo ipso est nulla, & inutilis; sed solum remittitur ad eum, apud quem querenda fuerat, ut colligitur ex *L. 1. §. 3. ff. quis, à quo.* Requirit tamen aliqui, ut illæ appellationes teneant, factas esse cum ignorantia, quod sit disordinatio in tali appellatione; sed hoc nullo jure probatur.

Limitatio 5. ut valeat appellatio, non servato ordine est, si pars appellata non contradicat, sic enim consentire, & Judicem prorogare dicitur, ut communiter tradunt doctores 6. si Judex inferior sponte causam ad superiorem remitteret, prout in Ord.



Ord. Cam. habetur; & ibid observatur recte Mynsingero, & Gail. qui ait, ex partibus septentrionalibus sæpe hujusmodi remissiones ad Cameram fieri.

§. II.

Quibus concessum sit appellare?

2713.

**A**Nte resolut. Not. cum sæpius contingat, quod delegato committatur aliqua causa, cum clausula *appellatione remota*; quæri posse, quid hæc clausula operetur? Resp. quod *regulariter* tollat remedium appellationis; consequenter, ut Judex à quo, *regulariter* non teneatur appellationi deferre; sed possit exequi sententiam, ut tradit communis cum Barbosa de *clausulis*, *claus. 9. n. 9.* ubi etiam tradit *n. 4.* sub hac clausula comprehendit omnem causam, tam principalem, quam incidentem, si utrobique est eadem ratio; sed solum inter partes; non autem quoad tertium; cum enim hæc clausula sit onerosa, ac proinde restringenda, ultra personas expressas porrigi non debet, ut notat Covarr. *præct. c. 15. n. 5.* & alij; Caterum hæc clausula plures habet limitationes; & ideo dixi, per eam *regulariter* tolli remedium appellationis; primò enim, non obstante delegatione cum dicta clausula, si superior qui commisit, sententiam latam, esse iniquam existimet, non obstante illa clausula poterit appellationem recipere, & sententiam delegati rescindere; sic Layman in *c. inter 9. de sent. & re judic. n. 1.* Secundò, non procedit, si appellatum sit ex causa, in jure expressa, arg. *c. Pastoralis. 28. §. praterea de offic. deleg.* Tertio non procedit dicta clausula, ut excludat viam nullitatis; cum ea nunquam exclusa censeatur, etiam post latam sententiam; accedit, quod dicta clausula apponatur ad tollendum remedium *appellationis*; ideòq; extendi non debeat ad remedium *nullitatis* cum hæc remedia diversa sint; prout colligitur ex *c. Licet. 14. de sent. excommunicationis in 6.* Quare non impedit appellationem, si tunc appellatum sit.

2714.

Quartò, licet clausula (*appellatione remota*) impediatur effectum suspensivum, non tamen impedit devolutivum; quod procedit, etiam si jus ipsum disponat, cognosci causam *appellatione remota*. Sic, licet in *c. Inquisitionis. 16. de hæret. in 6. Tom. II.*

dicatur, quod Episcopi, & Inquisitores, in causa hæresis, procedere debeant *appellatione remota*; nihilominus tamen Archiepiscopus comparatione Episcopi, & multò magis Papa, à Reo interpellatus, cognoscere potest de justitia processus, & sententiæ, atque inhibere, ne ulterius procedatur ad excommunicationem. *c. Romana. 3. §. si autem h. t. in 6.* Et docet Gl. in Clem. 1. verb. *oneramus. de jure patron.* ubi ait: quod superior emendare debeat, quæ malè acta sunt; attentata tamen à Judice inferiore, non per viam nullitatis, sed per viam ordinariæ quærelæ, seu Justitiæ implorationis revocari debent, teste Abb. hinc *n. 11.*

2715.

Hujus autem ratio desumi debet ex fine, propter quem ejusmodi clausula (*appellatione remota*) in commissionibus apponi solet; is enim est, ne justitia impediatur prolongatione tot judiciorum, ab uno ad alterum; ergo ubi est injustum gravamen illatum per sententiam, non obstante tali clausula, non debet negari appellatio, ne aliàs tendat planè in oppositum, & præcludat gravato viam, Justitiæ consequendi. Ex hoc sequitur, toties appellationem recipiendam esse, quoties appellatur à gravamine, quod à jure agnoscitur tanquam tale, à quo justè appellatur.

2716.

Hinc deducitur 1. quod clausula (*appellatione remota*) non tollat remedium appellationis, ubi gravamen apparet *notorium*, ut tradit Lancellot *de attentat. p. 2. c. 12. limit. 8. n. 28.* & alij; Secundò, si Judex *dolo malo*, vel *latà culpà* sententia vit; sic Scaccia *de appellat. 9. 16. limit. à n. 83.* nec quando *injustitia* sententiæ est *delecta*; Card. Tuschus, *præct. conclus. tom. 1. lit. A conclus. 400. à n. 21.* quod, ait *n. 15.* procedere, etiam in casu, quo proceditur absque parte, ac extrajudicium nec, quod *appellatione remota* à sententiis generaliter, intelligatur etiam de illa, quæ Judex se competentem pronuntiavit. Deniq; non tollit appellationem quotiescunque in continenti quis est paratus docere de justa, & legitima causa appellandi; Ripa *c. 1. sub n. 2. vers. Sed si removeatur, de rescript. Contrad. de moment. poss. limit. 12. n. 3. & quæst. 16. n. 6. n. 23.* sic enim potius tenderet ad oppositum justitiæ; quibus positus.

Procedendo ad quæstionem initio. §. 2717.

Ssss 2

pro